

alicui genti in specie considerata comparari possunt; & si paritatis ratio debeat urgeri, dicendum potius esset, Judæos, cum principia valde sint gravia, tandem aliquando uno impetu simul & semel Davidem Regem suum esse quæsituros. (c.) Si paritatis rationem hic urgere liceret possem ego ita concludere: Quemadmodum gentes, ob idololatriam aliaque scelera in immunditiam & reprobam mentem à Deo traditæ, tempore Vet. Testamenti sparsim & raræ admodum ad Ecclesiam accesserunt; tandem vero Evangelio per Apostolos sibi annunciato, maxima multitudine ad spiritualem domus DEI montem confluerunt; ita etiam Judæi, ob rejectum Messiam & Evangelium (k) à Deo excæcati, ad hoc usque tempus sparsim & rari convertuntur; tandem vero reliquiæ eorum ingenti multitudine Ecclesiæ Christi sese adjungent. (d.) Quamquam modum & tempus hujus sperandæ adhuc conversionis determinare nequeo; non tamen uno momento, hora, die, mense eam completum iri crediderim. Ideoque si per unius, duorum, trium, pluriumve annorum spatium duret, etiam hoc modo successive, sed contigüe facta dici posset.

k) Act. XIII.
46.

QUÆSTIO III.

An ergo conversio hæc etiamnum sit futura?

§. I.

Negant questionem plerique fere, quos vaticinium hoc vel post captivitatem Babylonicam, vel initio Novi Testamenti, vel in conversionibus particularibus impletum statuere vidimus. D. Joh. Pappus: (l) *Quod ad questionem illam attinet, de universali Judæorum, qui superfuturi sunt, conversione ante novissimum diem, ejusdem farinae commentum arbitror, cujus est illud de Antichristo orituro ex stirpe & tribu Dan, & regnatura annis tribus & dimidio. Non quidem nostrum est, ut pœnitentiam negemus cuiquam hominum, sive Judæorum, sive Gentilium: Sed neque nostrum est, de universali alicujus gentis conversione comminisci, quod sacra non prädixerint literæ.* D. Cramerus: (m) *Queritur an*

l) in Mos. III.
p. 251.
m) Part II.
de regno
Christi cap.
IV, q. 6. p. 332

an